

Observationes de usu cicutae, camphorae, sulphuris aurati antimonii et corticis Peruviani in quibusdam morbis. Dissertatio inauguralis medica ... / [Johann Conrad Gruelmann].

Contributors

Gruelmann, Johann Conrad, 1754-1828.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Goettingae : Typis Barmeiri, [1782]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mdgkdqcr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7 25871/p
OBSERVATIONES
DE VSV
CICVTAE, CAMPHORAE,
SVLPHVRI AVRATI
ANTIMONII ET CORTICIS PERVVIANI
IN QVIBVSDAM MORBIS.

B.3982
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRIMEDICORVM ORDINE
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
ATQVE
CHIRVURGIAE
D. XXIII. OCTOBRIſ A clolcccLXXXII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
IOANNES CONRADVS GRVELMANN
BARVERA - HANNOVERANVS.

GOETTINGAE,
TYPIS BARMEIERI.

*Sunt ex iis, qui medicinae operantur, alii viles, alii
longe praestantes; quod sane non esset, si neque medi-
cina neque in ipsa observationes essent, neque quicquam
inuentorum extaret; sed omnes aequaliter eius ignari
et in experti essent, et per fortunam omnes aegrotorum
res gubernarentur.*

HIPPOCRATES lib. de Vet. med. §. 2.



GOETTINGEN.
TYPIS BÄRMERII.




PRAEFATIO.



Offero TIBI, beneuole lector, syllogen obseruationum medico - chirurgicarum, quibus non omnis dignitas deesse videtur. Explicant enim virtutes, mihi in subnexis morbis comprobatas, remediorum nonnullorum, quae insignem apud medicos famam et existimationem merito tuentur.

Commoratus sum equidem, antequam inclytam Gottingam salutarem, Argentorati, ibidemque incubui in medicas et chirurgicas disciplinas, et frequentaui etiam nosocomia. Ex hac academia redux, Osnabrugae exercui



utramque artem per aliquot annos, et copia mihi data
fuit in hac statione notandi varios, rariores casus, et
morborum occasiones. Sed cepit me desiderium ulterius
excolendi doctrinam medicam, quare Gottingam me con-
tuli, ubi alium iterum emensus sum studiorum cursum.
Nunc demum de specimine inaugurali cogitanti, aptae
visae sunt istarum obseruationum quaedam, quae huic
scopo inserviant. Erit vero, de quo summopere laeter,
si non omni iudicum idoneorum suffragio careat iste labor.





OBSERVATIO PRIMA

*exhibens commoda ex usu cicutae in cancro mammarum
exulcerato.*

Eminet inter morbos diros et calamitosos cancer, ille imprimis, qui mulierum mammas occupat, tam ob dolorum atrocitatem et ferociam, quam etiam ob indomabilem fere indolem, ac medelam frustra plerumque paratam. Satis felix ille est, qui dolorum vehementiam mitigat, somnumque aut quietem conciliat, et fatum retardat. Laudata sunt cum in finem bene multa et varia medicamina ad internos pariter ac externos usus, ut ne heroica quidem, venena, ipsum adeo arsenicum, intentata, in re desperata, remanserint. Arrisit mihi prae ceteris cicuta, ita ut, dum copia mihi daretur, cancro mammarum aperto prospiciendi, hanc ipsam vocarem in usum. Quid profecerit illa, qualesque in genere exseruerit effectus subnexa narrat morbi historia.

Mulier quinquaginta quatuor annorum, per tres annos praecursores canceri experta erat in mamma sinistra in verum demum cancerum occultum abeuntes, nunc vero, adulto per fuetos gradus malo, ex occulto factus iamiam erat per nouem menses apertus. Sub dolorum atroci cruciatu, consilium a me petiit et auxilium, sub finem mensis Ianuarii a. 1780. In conspectum prodiit mamma tumida, liuido atroque colore per omnem ambitum foedata. Tumor pergebat vsque ad glandulas subaxillares, praeruptus, scaber, ex atro rubens, maculisque liuidis striisque variegatus. Glandulae istae tumidae et dolentes, brachio quamuis dependente, ipsaeque etiam mamma, firmiter adhaerebant. Costa secunda etiam et tertia iusto magis protuberabant, vitiumque contraxerant. Remoto nunc emplastro, firmissime adhaerente, oculis subiectum est vlcus faniosum, ambitu duorum et quod excurrit pollicum, intus flauescens nigrisque maculis hinc inde notatum. Margo tumidus erat et liuidus, multaque caro spongiosa excrescebat. Ichorem habuit vlcus, vti solet, paucum, sed putridum et cadauerosum odorem per totum conclaue spargentem, vicinas partes arrodentem, nouaque vlcera excitantem. Fundebant corrosa in vlcere et tumida vasa foedum et putridum sanguinem, qui ichore remixtus partes adiacentes inundabat. Misera, diurno fatigata dolore et nocturno, a leuissimo stimulo nervorum experiebatur tumultus, variasque conuulsiones. Vires prostratae iamiam erant satis, et cachexia vrgebat.

Cum in causas antegressas inquirerem, vitae ratio, sanitati minus congrua, victus prauus, spirituosorum ingurgitatio, res ceterum angusta moerorque culpanda erant imprimis. Per triginta annos vixerat in matrimonio ex quo filius vnicus erat, cui ipsa nempe mammas praebuit. Per tres dein annos vidua vixit, fatoque minus molli, aerumnis confecta est. Catameniorum vero fluxus per vndecim iamiam annos cessauerat. Scirrholama

fam nunc mammam aggressa erat remediis calidis et spirituosiss, ex suasu medici cuiusdam, peruersa scilicet methodo, quae, quo minus resolutionem perfecit, ipsam potius exulcerationem excitasse iure suo videtur. Adeo enim confisa est his remediis, vt ne irritus quidem effectus malique incrementum, neque ipsa demum aperta exulceratio, ad dissuasionem suffecerint.

Sub hac rerum conditione non erat amplius de extirpatione cogitandum, quae multum sane praestitisset, sub initium morbi instituta. Nunc vero innitebatur spes et solatium palliatius modo, quae dicunt, remediis, ideoque confugiendum erat ad ea medicamina, quae laudata fuerunt ab obseruatoribus, quibusque fidem faciunt experti.

Elegi vero extractum cicutae ex quo cum sufficiente quantitate pulueris eiusdem herbae pilulae ponderis granorum duorum formatae sunt. Harum pilularum tres de die sub initio exhibui, vnde vero nihil commodi enatum est, sed aluo tamen stimulum dederunt. Dein adiecta est quarta, ita quidem vt mane duas totidemque vesperi sumeret aegra. Pro potu decoctae sunt radices sarsaparillae et graminis et lignum guaiacum. Excitavi etiam fonticulum in brachio, ipsique vlceri imposui bis de die linteam carptum, soluto extracto cicutae, melique admixto, madidum.

Aliquot modo praeterlapsis diebus, mire remisit dolor, et quies simul rediit sub aucto in dies pilularum numero. Color etiam ille ex atro rubens, striisque intermixtis variegatus, in meliorem versus est, costaeque et sternum paululum detumuerunt. Neque minus imminutus est glandularum subaxillarium tumor et durities cum vrente et pungente in illis dolore, sicque mobilitas quaedam ipsius mammae redibat. Euanuerunt pariter sensim omnes istae glandulae, siue carnosae
excre-

excreſcentiae, vlceri adhaerentes, omnia que vel ſcirrhoſa, vel iamiam exulcerata loca meliorem notam induebant, dum in quinta hebdomade mane duodecim et veſperi quindecim pilulae ſumerentur. Vna tantum ſcirrhoſa glandula remanſit, quae nempe dextro lateri mammae inſidebat, ſed et haec reſoluta eſt ſub finem hebdomadis ſeptimae. Cadaueroſus denique odor nunc erat nullus. Iam vero ſupererat ipſe vlceris hiatus, hinc inde veſtigiis ſcirrhorum interne notatus, qui ſummam ſibi attentionem vindicabat.

Affulſit inde quidem aliqua ſalutis ſpes, ſed metus tamen erat, ne ſub optima, quae modo ſperanda erat, conditione, vires eneruatae ſuppuratiōi non ſufficerent. Fruſtra enim exhibita ſunt, dum vires decreſcebant, medicamenta et nutrimenta reſtaurantia. Fruſtra in uſum vocatus eſt cortex peruianus, vinum rhenanum, iuſcula denique nutrientia. Seponenda etiam vel ſucceſſiue imminuenda erat ob eneruationis contraindicationem cicuta, cui tamen ſummum ſolatiū innitebatur. Octaua itaque hebdomade aegra affixa eſt lecto, ad vltima redacta, tandemque ſub diarrhoea colliquatiua, vlcereque prorſus exſiccato, morti ſuccumbebat nona hebdomade.

Post mortem curatius perſerutatus ſum vlcus, diametri circiter ſeſqui pollicis. Non penetrauit verò illud ad muſculum vsque pectoralem, neque remanſerat veſtigium iſtius coſtarum ſternique protuberantiae. Interna etiam ſuperficies maximam fere partem explanata erat, ita vt ſuperficiale fere vlcus ad floreni modo ambitum conſolidandum fuiſſet. Sed, quod dolendum, vltimam iſtam, quae videbatur, ſymbolam, affulgenti ſpei denegauit ſumma virium proſtratio, corpusque enormiter exhauiſtum.

Quamuis itaque ſpe reſtituendae integritatis exciderim, mihi tamen non poſſum temperare, quin cicutam laudibus debi-

debitis extollam, symptomata enim vrgentia et dolorem coercuit, indurata loca resoluit, ichorem correxit, vlceris profunditatem expleuit, omniumque faciem in melius mutauit.

Clarius elucet eius in nostra aegra virtus, ex vitio, quod commisit illa. Taedio enim capta seposuit pilulas, me incio, sexta hebdomade, quasi fatis restituta his remediis. Sed ecce, statim in peius iterum ruebant omnia, vlceris nempe aspectus nouo vitio notatus fuit, symptomata recruderunt et dolor, costarum et sterni tumor elatus est de nouo, ichorque foetuit iterum. Equidem de redeunte malo attonitus, omnia studiose inquirebam, sed frustra, vt denique tamen, ex pilularum quantitate non imminuta, causam malorum intelligerem. Ne itaque eiusmodi quid accideret in posterum, ipse quotidie doses exhibui, quo facto in priscam viam redierunt omnia, et, symptomatibus lenitis, meliorem iterum faciem induit vlcus.

Conium maculatum, quod nempe est cicuta nostra, apud veteres iamiam in vsu fuisse, demonstrauit in *Apparatu medicaminum* incomparabili Ill. Eques et Consiliarius aulae regiae M V R R A Y, praeceptor ad cineres usque pie venerandus. Recentiores postmodum vltiorem operam collocarunt in exploranda eiusdem virtute, abeuntes vero, vti communis fere fors est, in diuersas et oppositas sententiarum partes. Alii enim summas ipsi laudes tribuunt in ipso aperto cancro mammarum, in testium etiam cancro, faciei, labiorum, dorsi, colli, vteri aliarumque partium, alii vero virtutem ipsi denegant, vtrique, quod mireris, experientia fidsque obseruationibus suffulti. Euolui vtriusque partis numerosos admodum testes, quibus omnibus vero allegandis libelli angustia impar est. Videntur tamen in affirmantium tribu principes

cipes sibi locos vindicare STÖRCK *a)*, COLLIN *b)*, CULLEN *c)*, et in negantium DE HAEN *d)*, VOGEL *e)*, SCHMUCKER *f)*, THEDEN *g)*, BIERCKEN *h)*. Vberius tradunt historiam cicutae Ill. MURRAY *i)* et Ill. SPIELMANN *k)*.

Ex hoc sententiarum diuortio illud saltem iure suo erui poterit, nondum satis determinatas esse cancrorum varias conditiones, quibus positus, vel conducat, vel noceat, vel saltem non proficiat cicuta. Docebit forsan dies harum occasionum ulteriolem determinationem, quare exoptanda erit, quorumvis cum hoc remedio in morbo desperato tentaminum diuulgatio, cui equidem voto symbolam adiicere volui.

OB-

a) Libellus, quo demonstratur, cicutam &c. Vindob. 1760. p. 5. 72. 103. 114. Libellus secundus, quo confirmatur, cicutam &c. Vindob. 1771. p. 290. Supplem. de cicut. Vind. 1771. p. 37. 40. 74.

b) Obss. circ. morb. acut. et chronic. Vienn. 1764. Tom. I. p. 176. 185. 204. 260. 289.

c) Lectures on the materia medica, Dubl. 1773 p. 300. *I have seen, inquit, two desperates cases, one of a cancre in the lip, and others in the breast, which are nearly cured by it and have had accounts of others from persons of veracity.*

d) Epistola de cicuta, Vien. 1765. p. 11.

e) de cognosc. et curand. morb. p. 636.

f) Chirurg. Wahrnehmungen B. II. p. 82. 131. sqq. 134. 140. 153.

g) Unterricht für Unterwundaerzte p. 229.

h) Abh. v. d. wahren Kennzeichen der Krebsch. Gott. 1775. p. 10. in nota.

i) Apparatus medicaminum T. I. p. 213.

k) Materia medica p. 508.

OBSERVATIO SECVNDA.

De efficacia cicutae in morbo scrophuloso.

Infans, septem circiter annorum, per biennium pluribus scrophulis, collum obsidentibus, premebatur. Cutis externa, quatenus hasce scrophulas tegebat, rubebat ex inflammatione, malique moris vlceribus foedata erat. Curam equidem suscipiens, purgatis primis viis, statim de exhibenda cicuta cogitavi. Exhibui itaque pilulas et sub initium quidem pro quavis dosi quotidie tres, quae conflatae erant ex cicutae extracti granis quatuor, sulphuris aurati antimonii et mercurii dulcis ana grano vno. Aucta est in posterum dosis sensim sensimque. Ipsa vlcera obtegebam linteo carpto, infuso herbae cicutae et adiecto melle madefacto.

His remediis per octo dies adhibitis, vlcerum facies et conditio gratior iamiam apparuit, ac glandulae etiam insigniter detumentes. Quavis dein hebdomade interpositum est remedium laxans, sicque, continuata per quinque septimanas methodo, tumor evanuit omnis, et septima tandem clausa sunt vlcera laudabili cicatrice, et integritas rediit.

OBSERVATIO TERTIA.

De eodem argumento.

Eodem tempore accersebar ad infantem, quatuor circiter annorum, habitus plane cachectici, scrophulis tam in collo, quam in abdomine valde oblitum, neque minus etiam rachitide laborantem. Signis sordium, et tenacium quidem, conuictus, e re esse iudicaui, resolventibus primum aggredi morbum, ideoque connubio cremoris tartari cum sale ammoniaco, partitis dosibus exhibito, sordibusque inde solutis, purgante remedio

has expuli, eo quidem successu, ut vires redirent paululum, vultuique integrior facies conciliaretur.

Eliminatis fordibus meam statim cicutam in usum vocabam, confectis quidem ad hanc formulam pilulis: Extracti cicutae drachmae duae, assae foetidae 1) drachma una, et mercurii dulcis grana quindecim. Pilulas inde formatas, ponderis granorum duorum, tres sub initium quotidie porrigebam. Spes iterum me eo in aegro non fefellit. Etenim aucto sensim pilularum numero, ad duodecim usque bis de die absque noxa sumtas, successiue extenuatae sunt scrophulae, simulque habitus ille cachecticus et valetudo in meliorem statum vergebant, ita quidem ut sub octauam hebdomadem integritati restitutus sit infans. Non neglectae vero sunt interpositae euacuationes.

Plures in promptu habeo observationes, quibus ulterius possem laudabilem cicutae contra scrophulas virtutem confirmare, has vero proposito meo satisfecisse arbitror. Gottingae quoque testis fui saepius huius virtutis, et nuperrime quidem in collegio clinico sub Ill. BALDINGERI, nuper praeceptoris pio cultu prosequendi, auspiciis, habito. Item et Ill. Eques MURRAY, quem mox laudaui, certiore me reddidit, se aliquoties praecipue extracti cicutae et extracti corticis peruiani miscela, scrophulosas indurationes soluisse et dissipasse.

OBSERVATIO QVARTA.

De felicissimo camphorae usu in conuulsionibus a pure resorpto.

Primipara, 24 annorum, difficilem partum ante quinque dies enixa, me vocari iussit initio mensis Nouembris anni 1780.

1) Assam foetidam admiscui ob vim soluentem, quam confirmavit post alios NICOLAI *Recepte und Kurarten* &c. p. 1080.

1780. Inueni illam grauitè decumbentem, febre nempe vehementissima detentam. Pulsus paruus erat celer et spasticus, simulque de acri dolore dorsi et capitis conquerebatur aegra. Tota praeterita nocte deliriis comprehensa erat, ac facies tumebat et rubebat, simulque respiratio celerrima apparebat. Lochia non nisi primo die fluxerant, ideoque sine dubio, et ab aluo etiam per tres dies clausa, abdomen inflatum erat, manuque admota doloribus obnoxium. Secta primum vena, clyisma iniectum est, et abdomini imposita fomentatio ex decoctis floribus chamomillae et sambuci, adiecto sale ammoniaco. Ad internos vsus praescripsi potionem antifebrilem et lenientem, potumque ordinarium acidulum. Neque neglecta sunt pediluvia calida, vespertino tempore instituenda.

Tertio quidem post partum die horrores experta est, lactisque irruentis nuncios, cum leui quodam dolore, qui sexto die ad axillas pergebat. Nihilo minus tamen nunc mammae molles erant ac flaccidae, nullaque humorum ad illas inclinatio. Interim suctione artificiali lac euocatum et affluxus excitatus est, infante quippe mortuo.

Die post partum sexto, secundo vero post susceptam curationem, nocte quamuis inquiete transacta, melius se habuit, dolor capitis et dorsi, vti et abdominis inflatio imminuta, vrina quidem rufa, venter vero solutus, pulsus lentior et mollior, et transpiratio laudabilis. Suctione hodie eductum lac, tenue erat et aquosum, simulque amaritiem et salsedinem aliquam impertiebat sugenti. Eminenagoga nunc, febre nempe fracta, postero die mixturae addidi, eo quidem successu, vt sub symptomatum remissione, lochia decolorata prodirent de nouo. Abdominis etiam embrocatio continuata est, et aluus clysteribus sollicitata; sicque profecit curatio, vt lectum deferere potuerit aegra. Quum vero dorsi dolores quouis vespere ingra-

vescerent, eam regionem studiose perscrutabar, sed nec eleuationem, nec fluctuationem quandam percipere poteram. Commodum tamen visum est, soluere balsamum vitae externum et camphoram in spiritu vini caeruleo et spiritu salis ammoniaci, cum calce viua parato, hancque solutionem spirituosam illinere parti dolenti.

A sexto die inceptae curationis continuavi per tres dies usum mixturae leniter euacuantis, sicque expurgatis sordibus ad corticis peruiani decoctum properavi. Hac methodo factum est, ut lochia fluerent satis, aegraque post tertiam hebdomadem ad sua aliquatenus redire potuerit negotia.

Dorsi vero dolores, quos semper conquerebatur, neutiquam remittebant, ideoque continuata interdum partis embrocatione, vesperi administrata est fomentatio ex herbis resolventibus. Et nunc etiam externe nullum apparebat vitium, nisi quod a die inde decimo nono digiti admoti acutiorem de die in diem efficerent dolorem.

Sub finem vero quartae hebdomadis ex hoc dolore lecto affixa est iterum, nouaque febris cum suis symptomatibus exarsit. Postridie lumbos dorsumque inferius tenuit tumor oedematosus, qui digiti prementis foueam seruabat. Imposui statim cataplasma emolliens, quod omni trihorio iteratum est, simulque feбри antiphlogisticis prospexi. Disuasit quidem tumor oedematosus cataplasmata, hoc vero in statu non curanda esse videbatur ista disuasio, ob suppurationis nempe profundioris suspicionem, quam acris ille et diuturnus dolor et symptomatum ratio mouebant.

Quinta hebdomade omnia pro dolor pergebant in peius, totum nempe corpus intumuit, febris aucta est, et colici dolores

lores cum diarrhoea purulenta vrgebant. Quarto huius hebdomadis die, cataplasmate tectus locus assurgere aliquantulum incepit, ob auctum vero tumorem oedematofum, nec minima fluctuatio percipienda erat. Interne nunc propinabam primo puluerem rhei optimi cum gummi arabico ac magnesia alba calcinata, postea vero tincturam rhei aquosam, sine alcali paratam, cum liquore anodyno minerali Hoffmanni. Diarrhoea vero ingrauescente, viribusque decrefcentibus, totum corpus intumuit vltcrius, quare ad corticis peruuiiani et fimarubae decoctum confugiendum esse videbatur. Inde diarrhoea quidem imminuta est, febris autem in dies nihilo minus aucta, cui inter alia mira gulae constrictio vespertino tempore se adsociavit, quae neque potus, neque medicaminum deglutitionem admittebat. Tumor ille in dorsi regione inferiori, sub finem quintae huius hebdomadis insigniter auctus est, et nunc demum profundam quandam fluctuationem subesse arbitrabar. Sub hoc itaque rerum statu, auctis scilicet et ingrauescentibus in dies symptomatibus, menteque etiam in antegressa nocte perpetuo emota, tendinumque subsultibus perceptis, locum fluctuantem, quamuis non satis distinctum, cultro aperire decreui.

Mane igitur collocata est aegra prona super sellam, tumorque pressus est ab adstanti a peripheria ad focum, vt ibidem nempe pus turgeat magis. Quo facto incisionem feci ad profunditatem duorum pollicum et dimidii; sed ecce, pus prodibat nullum. Perferutabar itaque vulnus infictum specillo, quod penetrabat, mirum est, ad totam suam longitudinem, quae sex pollices habebat, ad ductum nempe spinae dorsalis, neque tamen fundum tangebatur. Versus dextrum latus oblique pariter descendebat specillum ad duos pollices. Iam vero, immisso antea specillo excauato, ad huius ductum dilataui incisionem iuxta ascensum spinae dorsi, ad quinque pollices, et infra oblique ad duos pollices. Nunc prodibant duo fere
librae

librae puris, et immisso postea digito, enormem detegebam cauitatem, a dorsalis spinae decursu ad dextrum latus extensam, cuius parietes non poteram vbique attingere. Quo minus vero haec stupenda puris collectio viam sibi panderit in ipsum abdominis cauum, densae sine dubio aponeuroses musculorum abdominalium, transuersalis nempe et oblique descendens, pro parte defenderunt. Haemorrhagia sub his incisionibus non erat nimium profusa. Deligato nunc ad artis leges vulnere, ad arcendam inflammationem fomenta imposui, et interne corticis peruiani decoctum, temperantibus remixtum, exhibui.

Ob vehementes autem dolores ac debilitatem insignem, hunc diem, vti et sequentem noctem non salutauit quies, sed deliria potius vexabant. Post haec vero per tres dies quoddam apparebat leuamen. Interim tamen febris aliquem gradum seruauit, quo non obstante, ob virium scilicet summum defectum, paranda erant nutrientia et restaurantia alimenta. Sub hoc rerum statu insigniter intumescebant hiantia labia, quibus pressis, mediocris quantitas saniei prodibat; haec vero sanies succedente tempore meliorem indolem induit, et ad boni puris qualitatem accessit.

Nunc gratior apparebat morbi facies, diarrhoea enim fugata est vti et febris et symptomatum sodalitium. Rediit etiam ciborum appetitus, et valetudinis secundae spes, quam insuper vulneris laudabilis habitus, bonique puris adaequata quantitas firmabant. Sed, eheu, induciae modo erant concessae; spe enim optima vix affulgente, intumuit iterum totum corpus a die decimo tertio post factam incisionem, vires decrescebant cum puris quantitate, rediit ciborum nausea, assurgebant symptomata, vulneris color, viuus ante et gratus, in pallidum mutatus est, intumescantibus simul labiis. Die dein deci-

decimo sexto abscessus apparuit exsiccatus, et linteamina carpta adhaerentia; febris etiam novas vires assumebat, accedente iterum ominosa ista gulae constrictione, cuius antea mentio facta est. Suadebant haec, uti et mentis nova emotio, pus esse resorptum, quare spes vix remansit vlla.

Sequente nocte festinanter vocatus, vehementissimis inveni conuulsionibus detentam, faciem tumidam et decolorem, dentes stridentes, os firmiter clausum, et respirationem fere interceptam. Confugiendum erat sub desperata hac conditione, ad remedia summe efficacia; ideoque camphora palmam praeripuit, utpote magnum antispasmodicum, et nervorum tumultus sedans remedium. Solutus vero est camphorae scrupulus integer in emulsionis sufficiente quantitate, eumque pro vna dosi porrigebam, cum insigni sane molestia, quum os vi esset aperendum, et deglutitio etiam grauitur laesa existeret. Abdomen pariter et pectus perunctum est linimento ex oleo bezoardico WEDELII et (ad augendam quantitatem camphorae, quae in isto oleo continetur) camphorae drachmis duabus. Conticuit inde post horae quadrantem conuulsio et symptomatum strepitus, rediit etiam deglutiendi facultas, deferbuit aestus mordax, et quasi ex integro se restitutam sentiebat aegra. Postea exhibita sunt omni bihorio camphorae grana decem cum summo leuamine. Vulneris labia nunc induebant iterum colorem viuendum, et pus repullulauit in abscessum. Continuaui ideo camphoram, donec febris vehementia fracta esset, tumque chinae decoctum subministraui. In melius verso successiue vulneris et abscessus adspectu, pus quoque bonae notae ad debitam quantitatem auctum est, sicque, inter alia, et ciborum fastidium disparuit, et cauitatis profunditas minuta est, ita ut ex orci faucibus erepta esse videretur aegrota, successiue nunc ad integritatem reuertens. Sub quauis vero deligatione id erat sollicite ef-

ficiendum, ut pus ex recessibus suis expelleretur. quod nempe pressione fiebat, vario corporis situ, et commoda fasciarum applicatione. Magnopere sane commendanda est haec cura et industria, quoniam pus diutius stagnans, vitium capiit, suumque vitium cum humoribus circumfluis communicat.

Ad genesin huius ulceris plures sine dubio causae concurrerunt: lactis nempe metastasis, lochia inordinata, musculorum istius regionis sub partu difficili et protracto validi nisus, eorumque etiam sub hoc labore contusio a lecti margine ligneo, cui nempe haec pars affecta incubuit diuturne. Horum quoduis suam sine dubio symbolam attulit, sed ultima tamen causa repetenda erit ex humorum singulari vitio, quoniam morbosus decubitus, laceffitas et debilitas plerumque partes sequitur. Ex diuturniori vero mora corruptum fuit pus, unde, et ex resorptione etiam, deriuanda est morbi vis et symptomatum atrocitas.

Camphora, efficax sane remedium, tum in nervorum morbis a decumbente materia irritante, tum in putredine et purulenta humorum diathesi, dignum suo iure visum est celeberrimis viris, cuius virtutes fidis observationibus confirmant. Minus vero respondet instituo meo, has observationes prolixius enumerare, et superfluum praeterea videtur, quum alii suis in materiam medicam commentariis rem expediuerint.

OBSERVATIO QUINTA.

De camphorae effectu in febre inflammatoria peripneumonica.

Sub finem mensis Aprilis 1780. ad virginem aegrotantem accersabar, viginti quatuor annos natam, cuius corporis habitus strictus erat et paululum macilentus, Decumbebat illa graviter,

viter, dolore nempe pectoris inflammatorio et respiratione stertente et anxia premebatur, genis oculisque tumidis et rubentibus ac dolore vrente affectis. Linguam, vti et gingivas orisque labia tegebat crusta tenax et nigricans; artus gelidi sudore frigido madebant instar morientium; tendines subsiliebat, et exagitatum est totum corpus vehementissime, cuius superficies stricta erat spastice. Pulsus ob hanc spasticam stricturam vix poterat in carpo percipi; delirium tamen ferox saeuiebat, et aegra neque sui neque externarum rerum conscia erat.

Sub hac conditione a presso sanguine versus interiora, ad pectus praecipue et caput, pessima erant expectanda; ideoque, et ex aliis etiam rationibus, a morbi indole et decursu petitis, de venaesectione cogitandum erat. Secta vena profliebat sanguis ater, summoque gradu inflammatus, quare larga admodum quantitas mittenda esse videbatur. Detraxi itaque uncias circiter decem, quarum quidem plures detraxissem, nisi spastica illa conditio ulterius profluuium prohibuisset. Opposui deinde his spasmodicis periphericis fomentationes calidas, ex aceto et chamomillae florum decocto, quales nempe gelidis extremitatibus imponebantur; ipsi vero pectori applicavi vesicatorium. Alui segnities excitata est enematibus, quorum alteri camphorae drachmam vnam, cum vitello ouorum tritam, admiscui, idque retinebatur per tres horas. Pro interno usu propinaui emulsionem cum camphora et nitro, et sic quidem, ut omni bihorio decem grana camphorae et sex grana nitri sumerentur. Haec ita profecerunt, ut a quarto et quinto praebio mitiorem faciem induerent symptomata. Exhibitum est praeterea decoctum hordei perlati, ob saponaceam quasi virtutem, cum melle, omni quidem quinto minuto horae. Extremitates nunc recuperabant calorem, remittebat pectoris oppressio, prodiit cum leuamine sudor viscosus et foetens, isque nunc

calidus, et pulsus etiam percipi nunc potuit distinctius, licet parvus et celer adhuc esset. Quum vero sub saluti fero isto camphorae effectū quaedam tamen desideranda superessent, augere istius dosin non dubitavi, sicque quindecim grana eiusdem cum decem granis nitri praebui omni trihorio. Temeraria videbitur sine dubio haec dosis, quam vero defendunt tum faustus et optatus effectus, tum aliae etiam rationes, quas infra allegabo.

Nox quidem, quae septimum morbi, vel secundum a suscepta curatione, diem, antecedebat, deliriis turbata exstitit, sequenti vero die resipuit aegra omnino, capto ante horam primo praebio. Pulsus etiam distinctior evasit, molliusque ferebat digitum explorantem. Neque minus in melius versa sunt, capitis dolor, vertigo, pectoris oppressio, respirationis difficultas et facie rubor ac inflatio. Per integrum hunc diem mavit cutis eodem sudore foetido et tenaci, vrina vero saturate tincta erat absque sedimento. Alius tardans sollicitata est iterum clystere addita pariter camphora. Vesicatoria, pectori imposita, post horam demum decimam sextam ruborem modo excitauerant, absque vesicula, quare, ut irritationem augerem, alia insuper vesicatoria cruris utriusque lateri exteriori apposui. Camphorae nunc et nitri quantitas minuenda esse videbatur, sicque ad decem grana prioris et sex posterioris descendebam, pro quouis trihorio nempe. Sepositae sunt etiam hoc die fomentationes, quoniam calor redierat sudorque tepidus.

Postero die, octavo scilicet a morbi initio, matutino tempore profuse sudabat aegra, simulque narratum mihi fit, noctem multo quietius fuisse transactam. Febris vero ipsa gradum quendam servabat, attamen respiratio expeditior erat, et

ver-

vertigo imminuta, neque minus linguae mador rediit et marginum rubor. Vrina etiam nunc turbida apparuit et sedimentum deposuit, pulsusque mollior euasit, decresciente vibrationum numero. Descendebam itaque ulterius, ad octo quidem grana camphorae et sex nitri pro quouis trihorio. Lacerata hoc die est aegra, ad salutem sensim rediens, vesicatoriis, quare nunc abstuli eadem, iniuncta iterum clysteris applicatione. Quum ciborum praeterea appetitus aliquatenus succederet, paratum est iusculum ex pane bis cocto, continuato ceterum potu ex hordeo perlato, cui admixtum est acidum citri, quod tum gratiam conciliat, tum sitim fallit aestumque mitigat.

Diem nonum salutauit quies et symptomatum lenimen. Fracta est enim febris vehementia, laudabilis faciei color rediit, et vrina etiam sedimentum lateritium deposuit. Tussis vero nunc vexabat sicca, qualis pectoris oppressiones solemni-ter sequi solet. Propinaui nunc, ad deriuandum a pectore irritamentum, potionem antiphlogistice laxantem, ex manna nempe, tamarindis et sale Sedlizensi, quae quidem aluum mouebat satis.

Die decimo, quum nondum penitus conticuerat febris, ceteris licet omnibus ad melius vergentibus, praescripsi mixturam ex nitro et sale mirabili, solutis in aqua florum chamomillae, adiecto melle despumato. Seposita praeterea nunc est camphora. Pulsus hoc die ad sanum accedit propius, tussique reiecta est pituita tenax, procedente insuper bona transpiratione. Parata est itaque, ad promouendam expectorationem et transpirationem, infusum calidum ex floribus chamomillae et sambuci. Vrina ad fundum ponebat magnam quantitatem sedimenti arenosi, rubentis, aliusque ducta est cum euphoria.

Ad integritatem ulterius progressa est aegra die duodecimo et decimo tertio, hauriendo mixturam ex sale mirabili, tamarindis et rheo, absque nitro. Procedebat pituitae com-
moda satis reiectio, deposuit lotium idem sedimentum, sed su-
doris quantitas successiue decrescebat. Tumebant deinde, vti
fieri solet cum leuamine sub finem plurium acutarum, pedes
manusque. Dato nunc cortice peruiano, vires redibant suc-
cessiue et integritas, et vacauit virgo suis laboribus, menstruata
de nouo quarta hebdomade.

Ratio tandem reddenda esse videtur breuibus, tum quare
camphoram exhibuerim, et in tanta quidem quantitate, tum etiam
quo modo egerit illa in nostro morbo. Inii vero hoc de illo
remedio propinando consilium variis auctorum laudibus, morbi
discrimine, et virtutibus eiusdem, aliunde perspectis, adductus.

Ventilata est varie quaestio, num refrigeret camphora an
calefaciat. Sic habet COHAVSEN *m*): *Egregium illud anti-
phlogisticum et omnium fere internarum inflammationum insigne et
praepotens discutiens, etc.* WERLHOF *n*): *Multoties hoc re-
medio in mea praxi utor, praecipue in inflammationibus internis,
magno cum successu, et miror, tam multos medicos ab usu eius
interno abhorrere.* Idem, alio loco *o*): *Camphoram in pleu-
ritide adhibitam sancte testor, nullum plane inde caloris incre-
mentum, sed potius placidiora omnia euenisse.* TRALLES etiam
refrigerantem virtutem agnoscit *p*): *Ego vero, inquit, quan-*
do

m) Obsf. de venae section. et camphorae usu in pleuritide. vd. Comm.
Nor. 1743. Hebd. 40. p. 313 sq. 1744. Hebd. 3. p. 20 sqq.

) Obsf. camphorae usum internum in febribus acutis probantes
et commendantes. vd. Comm. Nor. 1734. p. 268 sqq. Allegata
verba leguntur ibid. 1735. Hebd. 4. p. 28.

o) l. c. Hebd. 27. p. 217.

) Exercitatio physico-med. virtutem camphorae refrigerantem etc.
Lips. 1734. p. 163.

do omnem medicinale materiam lustrō, ac sollicitē in facultates medicamentorum inquirō, nullum inuenio, quod tanta inflammationes expugnandi potentia polleat, etc. ALBRECHT, Professor quondam Gottingensis, commendat pariter camphoram ad purpuram et inflammationes internas *q*). Nitrum placet multis, camphorae in acutis adiectum, et inter alios quidem A BERGER *r*), VOGEL *s*), WERLHOF *t*) aliisque. Videntur vero illi, qui eius virtutes in morbis inflammatoriis extollunt, contrarii esse his, qui calefacientem virtutem camphorae tribuunt. In hanc sententiam abeunt NICOLAI *u*), R. WHYTT *x*), VOGEL *y*) qui ipsam quidem virtutem in humorum stasibus inflammatoriis resoluendis cum TRALLESIO l. c. neque minus ad febres malignas et exanthematicas expugnandas, motusque inordinatos et vehementes compescendos, agnoscunt, attamen in sententiam de calefaciente qualitate desectunt. Et negandum quidem non est, hanc sententiam defendere volatilem odorem, inflammabilem naturam, cognationem cum oleis essentialibus, et fugam camphorae, dum aëri exponitur per exiguum modo tempus. Interim subscribo sententiae Cl. CVLLEN *z*), qui camphorae diuersum effectum a diuersis dosibus et diuersis constitutionibus deriuat.

Verum-

- q*) in litteris ad WERLHOFFIUM obsf. de camphorae usu in purpura et inflammationibus internis. Comm. Nor. 1735. Hebd. 20. p. 154.
- r*) Obsf. de camphorae usu atque virtutibus in febr. inflammatoriis. vd. Comm. Nor. 1735. p. 153.
- s*) Hist. mat. med. 1764. p. 311.
- t*) loc. cit.
- u*) l. cit. p. 605 sq. 636.
- x*) Opp. pract. p. 502.
- y*) Prael. de cogn. et cur. morb. p. 33. mat. medic. p. 311 sqq.
- z*) l. c. p. 315 the virtues of Camphire have been much disputed. You will easely see, woh that happens, from the differents effects, of different doses, on different constitution.

Verumtamen concedendum est omnino, non esse vnum idemque commendare camphoram ad debellandas inflammationes internas, aliosque morbos inflammatorios ac arduos, et defendere vim refrigerantem. Etenim non omnia remedia, quae illud perficiunt, refrigerantia ideo sunt necessario. Camphora quidem auget humorum motum per totum corpus, ideoque dum ad peripheriam propellit, pariter a locis internis inflammationis detrahit salutariter humorum abundantiam; idque tunc praecipue eueniet, quando spasmi peripherici vrgent, quos nempe tum aucto humorum appulsu, tum forsan alia antispastica virtute soluit. Neque minus intelligitur inde, transpirationem, imo sudores aliasque criticas eliminationes prouocari. Et haec praecise mihi erant in votis in narrato morbo, eumque ideo obtinui effectum felicem. Obuenit saepius ea in morbis grauibz ominosa conditio, vt languentibus aut oppressis viribus vitalibus, neque crisis contingere queat, neque alia morbi salutaris mutatio, vt itaque mors immineat. Haec erat fere nostri morbi conditio dum equidem accersebar. Quid, quaeso expectandum fuisset, si methodo euacuatoria morbum aggressus fuisset, nonne prostratis vltius vitae viribus, morbi victoriam, adiuuassent! Erat itaque eiusmodi remedium raptim quasi capiendum, quod has vires oppresses excitaret, quod sanguinem propelleret iterum in gelidos iamiam artus, quod superficiem corporis aperiret et ab oppresso pectore sanguinis inundationem deriuaret. Venaesectione vero antegressa istam pro parte iamiam obtinui deriuationem. Quum vero res summe ardua auxilii celeritatem et efficaciam sibi vindicaret, neque tempus terendum erat minutis et timidulis dosibus, largam statim exhibui camphorae dosin, quam repetii saepius imo auxi, non temerario quidem aut nimis audaci consilio, sed successu potius permotus, et ab iis, quae perficienda supererant, admonitus. Enascitur praeterea ex negotiis cum successu peractis, fiducia quaedam et consiliorum dignitas.

Non

Non possum tamen silentio omnino premere cautelas aliquas in usu camphorae in similibus morbis bene notandas. Nocet enim hoc pharmacum, si vel in morbis inflammatoriis sanguineis, aut in inflammationibus internis, sanguinis massa vel turgeat, vel re vera abundet, si a sordibus primarum viarum morbi periculum aut insidiosa facies oriatur, si denique irritabilitas et sensibilitas modum excedant. Caueas sub his conditionibus, ne vel refrigerare velis camphorae adiumento vel pacare motuum vehementiam.

OBSERVATIO SEXTA.

De virtute camphorae in febre putrida sanguinea.

Homo rusticus triginta sex annorum, per aestatem in Belgio, ut multi solent Westphaliae rustici, commoratus prata subsecandi causa, in patriam redux febre mali moris correptus est. Equidem, secundo morbi die vocatus, notavi genas rubentes, oculos protuberantes, pectus oppressum, pulsum celerem, paruum, tremulum et spasticum, integrum corpus convulsionibus et tendinum subsultibus laceffitum, mentemque emotam. Calore praeterea ardebat aeger, et linguam, nigricante et aspera crusta obductam, vix mouere poterat. Tanta pectoris oppressioni obuiam eundum esse putavi venaesectiōe, exploratoria saltem. Esecta vero vena prodibat sanguis tenuis et resolutus, ideoque statim clausi iterum venam, consilium capiens de corrigenda putrida hac resolutione. Praescripsi vero emulsionem sex unciarum, cui adiecti sunt camphorae scrupuli duo, exhibendo cochlearia duo quouis bihorio. Iniunxi praeterea potum, multo acido vitriolico nuptum, largiter hauriendum, simulque clysteres injecti sunt ad euocandas sordes, quae euacuantibus, per os suntis, minus recte expellendae esse videbantur.

Sequente mane arrisit mihi gratior rerum facies, nox enim melius erat transacta, pulsus nunc minus celer et paullo

plenior, loquela per intervalla expeditior, conuulsiones etiam et tendinum subsultus mitiores; mordax vero ille calor vix remiserat aliquantum. Cum itaque commoda perciperem ex camphora, auxi eius quantitatem, ad integram nempe drachmam in eadem mensura emulsionis. Madorem inde contrahabant linguae margines, quorsum multum etiam conferebat sane potus ille copiosius. Vrina ex fusco rubebat, absque deposito sedimento, transpiratio autem liberaliter prodibat, et respiratio minus premebatur. Ob inflationem vero abdominis clysteribus subducta est aluus.

Tertio die (quinto vero ab ipso morbi initio) longe mitius delirabat aeger, mitioribus etiam conuulsionibus exagitatus, pulsus celer quidem erat adhuc, sed accrescebat tamen; vrina vero eandem ac in die praeterito monstrabat indolem, cutimque idem infestabat calor vrens. Continuaui camphoram, ascendens ad scrupulos quatuor in eadem quantitate fluidi, et adieci potui tantum acidi vitriolici, quantum ferre poterat aeger.

Die quarto a suscepta curatione linguae modo posterior pars nigra conspiciebatur adhuc, vrina nunc deponebat sedimentum, respiratio liberior euasit, pulsusque naturali propior. Conuulsiones vero nondum conticuerant penitus, sed nocte potissimum vexabant aegrum.

A die quinto ad septimum mens composita est successiue, cutisque mador ad debitum gradum continuauit, decrescantibus etiam conuulsionibus et reliquis symptomatibus. Imminui nunc camphoram iterum ad drachmam vnā in eodem quanto emulsionis, cuius omni tantum trihorio cochlear exhibitum est. Aluum nunc quoque deponebat aeger sponte, et imminutus est sensim sudor ille foetens et viscidus, et ex lotio praecipitatum est sedimentum lateritium. Abstini itaque a camphora, et interposui die septimo lene euacuans ex tamarindis et cremore tartari, quod sordes foeculentas subduxit quinquies. Tandem praescripti corti-

corticem peruuanum ad vnciam vnam, et radicem Valerianae ad vnciam dimidiam, quibus infusis cum aquae fontanae libra vna, additisque aluminis crudi drachma et oxymellis simplicis vncia, bina cochlearia assumpta sunt quouis bihorio. Sub huius medicinae administratione euauerunt qui nocturno tempore superstitēs manserant tendinum tremores, cum omni simul conuulsionum vestigio, supererat tamen febrilis in pulsu character. Sed et hic disparuit dum infusum illud repeterem, cui vero nunc denegavi alumen ob stridulam tussim, quae subnata erat. Haec tussis obtemperauit potui demulcenti, et continuato tum horum remediorum usu, tum diaetae regimine, aliaque appropriata methodo, integre conualuit aeger, et reuersus est ad suos labores ac perfectam incolumitatem septima tandem hebdomade.

Confirmat, ni fallor, haec obseruatio virtutem camphorae antispasmodicam et antisepticam, probat etiam virtutem corrigendi febrium malignitatem. Quae quamuis probata iam sint multoties a viris celeberrimis, haud superflua tamen aut inutilis visa est haec tessera adiecta, neque videbitur, vti spero, aequis iudicibus.

OBSERVATIO SEPTIMA.

*De salutari effectu sulphuris aurati antimonii tert. praecip.
in febre quartana inueterata.*

Efficax hoc remedium iam dudum in febribus intermittētibz in auxilium vocatum est a viris clarissimis, quod tum spasmos febriles dissipat tum corrigit aut resoluit et e corpore eliminat materiam peccantem. Obseruationem suppeditabo, quae tum haec, tum alia etiam auxilia, ab eo praestita, demonstrat.

Vocabar nempe ad mercenarii vxorem, vigesimum annum agentem, et pusionem primogenitum per annum lactentem, quae febre quartana per decem iamiam menses et dimidium laborauerat.

rat. Ea per illud tempus celebrauit circumforaneorum aliaque inepta et superstitiosa medicamina, quae non modo frustra adhibita sunt, sed vim potius dederunt morbo. Tumor leucophlegmaticus nunc obducebat totam corporis superficiem, quae, vti et ipsi oculi, tincta erat flauo colore. Apparuit etiam sub leni ictu, lateri impacto, in abdomine fluctuatio, neque minus, ob orthopnoeam, suspicio aquarum, in pectore collectarum, aderat, pedumque tumor seruabat digiti prementis vestigium. Vrina sub febris accessu exigua quantitate mittebatur, turbida et rubicunda, diebus vero, a febre quartana vacuis, limpida erat, nunquam tamen potus quantitati respondens. Febris ipsa statò tempore, et immutato ordine inuadebat, durante frigore a septima hora matutina ad nonam usque, et aestu a nona ad quintam post meridiem. Frigus illud satis penetrans quidem erat, attamen absque insigni horrore et corporis concussione; sub aestu autem sicca erat cutis, acriter admodum vrens, neque vlla sudoris excretio contingebat.

Quum naturae vires non sufficerent ad resoluendas obstructions et corrigendos humores, his finibus succurrendum erat artis adiumento. Docebant praeterea varia signa sordium praesentiam, oris nempe amarities, grauitatis sensus in ventriculo et hypochondrio dextro, et lingua etiam, flaua et crassa quidem crusta obducta. Propinatum est itaque primo sal ammoniacum, resoluedi causa, quod vero, quum non satisfaceret indicationi, excepit solutio extractorum amarorum cum tartaro tartarifato et sale ammoniaco. Sed et his non obtemperauit febris, reuertens nempe fueto tempore cum eadem paroxysmi diurnitate. Interposui nunc purgantia ad eiiciendas eas, quas solutas esse credebam, sordes; deinde reuersus sum ad amara et sal ammoniacum et tartarum tartarifatum. Huic methodo inhaesi per aliquod tempus; conuictus vero postea de insufficientia eiusdem, ad alia remedia confugiendum erat. Etenim non mutati erant hucusque febris accessus, neque tensiones in abdomine, neque flauus color.

Prae-

Praescripsi itaque sulphuris aurati antimonii tertiae praecipitationis grana quatuor, cum pulvere absorbente, pro vna dosi. Haec leuiter quidem mouebat aluum, nullum vero vomendi conatum quum effigeret, neque alios luculentos effectus produceret, quintum granum addidi subsequente praebio. Redibat quidem postero mane rebellis febris eodem gradu, prodiiit tamen hora quinta lotium maiori quantitate, neque adeo rubicunda, et aluum aegra deposuit hoc die quinquies. Hora nona grana sex exhibui, aucta dein ea dosi, quae breui ante nouum paroxysmum sumebatur, ad octo grana. Qui nunc secutus est paroxysmus, multo mitior erat, prodeunte nunc leni transpiratione, et lotii quantitate maiori, minus rubicundi, soluta etiam aluo tribus vicibus. Redibat quidem aliquoties postea paroxysmus, sed mitior, et paullo serior. Restitutus est etiam magis magisque cutis mador; vrina largius profluens, notata est sedimento, decreuit grauitatis et tensionis sensus in hypochondriis, laetiorque rediit corporis color. Sic fracto sensim symptomatum vigore, a nono praebio sulphuris antimonii disparuit febris.

Subsedit pariter sub hac conditione tumor corporis leucophlegmaticus, cuius vero vt vltiorem resolutionem efficerem, simulque alio respectu reditum ad sanitatem promouerem, tria adhuc praebia mei remedii adieci. Haec mouebant salutariter vrinam et sudorem resoluendo humorum lentorem. Rediit ciborum appetitus, linguaque spurcitiam deposuit. Reuocabam nunc de nouo solutionem ex amaris extractis, tartaro tartarificato et sale ammoniaco, quae quidem leniter ducebat aluum. Finem morbo imposuit tandem cortex peruuianus. Regressa ad sanitatem aegra, menstruata fuit de nouo quinta hebdomade, a suscepta curatione, cui nempe ablactationem iniunxeram sub initium statim consiliorum.

OBSERVATIO OCTAVA.

Morbus epilepticus, cortice peruuiano ac Serpentaria Virginiana sublatus.

Puellae vndecim aunorum, reduci sub vesperam ex villa suburbana, colaphus inflictus est a scelerato homine, qui ipsi furtim ea abripiebat, quae emtum missa erat esculenta. Concidit statim in terram, conuulsivis motibus detenta grauter per trihorium fere. Rediit eodem vespere idem conuulsionum paroxysmus, quem dum vocatus essem, epilepticum esse agnoscebam. Propinaui primo anodynam medicinam ex spiritu cornu cerui, liquore anodyno Hoffmanni et castoreo. Cum somnum caperet deinde, contremuit saepius. Altero die inuasit, me praesente, malum, clamitabat nempe, brachia iactitabat conglobato pugno, mirisque agitata est motibus per sex horae minuta prima. Reuersus est in eodem die tribus vicibus paroxysmus, et per diutius quidem tempus protractus. Tertio die secui venam, sicque redierunt paroxysmi rariores quidem, sed protractiores. Secta vena vomitorium exhibui, quod quinquies subuertebat ventriculum. Per tres deinde hebdomades propinata sunt remedia resoluentia, euacuantia, diuretica et antihelmentica, successu vero minus respondente, parata est deinde alia medicina ex corticis peruuiani optimi scrupulo, ac radicis serpentariae Virginianae et nitri depurati ana scrupulo dimidio, eamque dosin ter sumsit per diem cum vino. Luculentum inde enatum est morbi lenimen, posteroque die, sumtis pulueribus, vix morbi imago, et semel quidem, rediit. A duodecimo demum praebio integre conticuit morbus.

Delendus erat in hoc morbo neruorum character nimis irritabilis et imbecillis, cui indicationi prae ceteris satisfacere poterat cortex peruuianus, quod quidem dudum iamiam comprobatum fuit medicis.

THESES.

I.

Ab educatione et exemplo solummodo mali vel boni mores dependent.

II.

Post solemnem ortum rerum huius orbis nulla vera noua plantarum species a natura est producta.

III.

Ex aëre dephlogistico per siphonem vasis corporis animalibus intruso, ad resorptionem illius in statu naturali per pulmonalia vasa, cum animal viuere pergit, concludi non potest.

IV.

Iridis et vteri humani fibras musculares sui omni modo singularisque generis esse, Ill. LOBSTEINII praelectionibus conuictus, censeo.

V.

Vena caua prope ingressum cordis pulsat.

VI.

Neruosi morbi a solidorum statu nimis relaxato, a sanguine macro tenui, et a lentore et deprauatione humorum lymphaticorum ortum trahunt.

VII.

Intermittentibus in febribus materiam specificam contagium inducentem subesse persuadeor.

VIII.

VIII.

Tumor faciei ac manuum indiuulsi variofarum comites, a nulla alia causa nisi a transpirabili materia suppressa ac inflammatione cutis earum partium originem ducunt.

IX.

Vitam viuit suam et sui sanguinis artifex est embryo.

X.

Sine respiratione utique viuere aliquomodo potest foetus post exclusionem.

XI.

Fluidum nerueum adesse, prolixè ex morbis demonstrari potest.

XII.

Corneae sensus proficiscitur ab adnata tunica, qua obducitur.

XIII.

Cerebri functiones nobis adhuc sunt ignotae.

XIV.

Camphora pro dosi, qua exhibetur, pro aegri idiosyncrasia, et pro morbi indole, mox frigus mox calorem potest inducere.

XV.

Ossa pariter ac tendines morbose sensum induunt.



In liebig bey Herr
Wistner in der Jagdstraße
Nr. 1. Elfter und Drabben
in der Jeter Straße bey Herr
Gabriel, Mons. Nabert.

1763 g. 20. Febr.
reide est.

Gärtner in der Elster Gasse
Nr. 1. Suterndorf, Geyll
Fischer. Bauer.

Johann Christoph Jung
1780

